Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1781

Quelle:
Copyright:

fratres predicatores ad gratiam et gremium vniuerſitatis redierint et recipiantur, ipſi fratres in omnibus actibus ſcolaſticis, proceſſionibus et alijs honoribus eant vltimi, qui alios in honore precedebant. Et ſic ordo eorum hic in francia videtur eſſe quaſi deſtructus, et timeo, quod temporibus noſtris ad ſuum honorem numquam poterunt releuari. Hec ſunt que pro nunc ſcribenda occurrunt. Si aliqua ſunt noua, mihi reſcribatis precipientes michi vobis in omnibus obedire parato. Literae hae, quas ad *Nicolaum de Dünkelſpühl* datas exiſtimo, ad ea illuſtranda valent, quae de turbis his *Caeſ. Egaſs. Bulaeus* et *Steph. Baluzius ſupracc. Nat.* item *Alexander Hiſt. Eccl.* T. VII. c. 3. *art.* 23. *Jac. Quetifus Scriptt. O. P.* T. I. p. 691. *Jac. B. Boſſuetus* in *Def. Declarat. Cleri Gallic.* P. II. p. 102. tradidere.

Fol. ult. Codicis noſtri p. 2. ſuperſcriptum reperio: *Hic liber eſt Cenobij ſancte marie virginis alias Scotorum Wyenne.*

CCCCLI.

173 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 22. f. inſcriptus eſt: *Ad Sereniſſimum Romanorum, Hungariæ, Bohemiæque &c. Regem &c. Ferdinandum. Præparatoria pro catholica unione regni Bohemiæ.* Autor eſt *Joh. Faber* poſt Epiſcopus Vienn. et initium: *Sereniſſime pientiſſime, ac clementiſſime Rex. Hanc piam ſanctam, et per omnia ſalutiferam cogitationem* &c. Opuſculum hoc, ſed imperfectum, *Cod.* DCCCCLXVII. adnotatum fuit; dignum autem omnino eſt, ut totum perlegatur.

II. *fol.* 23. *Summarium Scripturarum Sereniſſimo Romanorum, Hungariae, et Bohemiæ &c. Regi Ferdinando datarum, pro unione religionis in regno Bohemiæ. Per Johan. Fab. Epiſcopum Viennenſem. Anno ſalutis noſtræ* XXXVII. Sunt tituli XXIII. Scriptorum, quorum plura ex *Actis Concilii Conſtant.* excerpta ſunt, alia in *Codd.* quos *Adverſaria Joh. Fabri* diximus, leguntur.

CCCCLII.

Codex chartaceus lat. germ. 96 Sec. XVI. Folior. 171. f. ex quibus plurima pura ſunt, continet *Joh. Fabri Leutkirch. Suevi Epiſcopi Vindobon.* et *Ferdinando I. Imp. a Conſiliis et confeſſionibus* ✠. 1541. *Adverſaria* ad coorta tunc temporis *Religionis diſſidia* ſpectantia, partim idiographa, partim aliena manu deſcripta, cum latina, tum germanica. Operimento adglutinata eſt *Donationis formula* excuſa, qua Codicem hunc poſt mortem ſuam ad *D. Nicolai Collegium* a ſe Adoleſcentium in literis educationi fundatum transfert, huicque ſimilis chirographa manu *Dionyſii Sperlin* in voluminis principio et fine extat. En rerum ſeriem.